

Bellarmin au cardinal de Verone.

*Augustin
Yalier*

Rome, 1 mai 1599.

me me ne me
 / Ill et R D obser . Quid hoc est? Verene Robertus Bellarminus Jesuita,
 alumnus, clientulus, servulus amplissimi Cardinalis Veronensis, sedes domini sui habi-
 tat? per egregiam ejus aulam ambulat? in ~~styx~~ cubiculo ipsius, modo legit, modo scri-
 bit, modo precatur? in lectulo eodem cubat? et qui tam frequenter mira quadam suavi-
 5 tate Domini sui attractus, praeclarum S. Marci palatium intravit, ut Dominum et Me-
 cenatem suum viseret, sapientiamque doctissimi senis audiret: nunc in eodem palatio
 residet ut adeuntes te Principes viros, legatos Regum, ipsos etiam Patres purpurae
 10 to, senatores orbis terrae excipiat! Obstupescit Roma ejusmodi rerum conversiones,
 non desunt etiam qui attoniti dicant, quid accidit filio Cis? heri cum pallio detri-
 to, uno contentus socio, pedes ingrediebatur, et egrediebatur; nunc purpura et bisso
 insignis, magna comitante caterva, cursu per Urbem invehitur, obvii quique subeis-
 tunt, decedunt, salutant. Sed parum hoc est; multi, quibus soli sunt oculi carnei,
 quos habemus communes cum bestiis, prae invidia tabescunt, uruntur, insaniunt. Mira
 sunt haec, et magna, si terrae inhaeremus, si patriam nostram obliviscimur. At si ve-
 15 re sapimus, si in Christi schola eruditi sumus, si evangelium, si Apostolum attente
 legimus, si nos hospites, et advenas esse serio cogitamus. Quid haec sunt, nisi vapor
 ad modicum parvus! et quid est ipsa vita nostra, nisi fenum, quid gloria ejus, nisi
 flos feni! Ergo certe amantiss^e ~~mi~~ Pater, et colend^{mo} Dne, fateor paterno cordi
 vestro, nunquam purpuram magni feci, quod ipsum memini, me aliquando dixisse, cum inter
 20 nos dulcissima colloquia misceremus; nunc vero tantum abest, ut magni faciam, ut po-
 tius vehementer mirer eos, qui ista mirantur, et obstupesco, quod videam christianos
 homines ita obstupescentes, et miseret me illorum, qui gloriam Regni sempiterni ne-
 gligere videntur, ut honores fugaces, et umbram gloriae consectentur. Benignitas Domi-
 ni mei, et domus, quam inhabito, me admonuit, ut sepositis paulisper gravioribus curis,
 25 quae me conficiunt, hac brevi lucubratiuncula, et me ipse recrearem, et cum Domino
 meo, quo possum, modo confabularer. Ago interim ingentes gratias pro domestico hoc be-
 neficio, majores acturus coram, cum Deo bene juvante Amplitudinem vestram aspicere
 dignus fuero. Ambio devotas preces, deosculor sacras manus, offero pusillum quod valeo
 Roma. Kalend. Maii 1599.